

dixerat ille, et iam per moenia clarior ignis 705
 auditur, propiusque aestus incendiavolvont.
 'ergo age care pater cervici inponere nostrae;
 ipse subibo umeris, nec me labor iste gravabit.
 quo res cumque cadent, unum et commune periculum,
 una salus ambobus erit. mihi parvos Iulus 710
 sit comes, et longe servet vestigia coniunx.
 vos famuli quae dicam animis advertite vestris.
 est urbe egressis tumulus templumque vetustum
 desertae Cereris iuxtaque antiqua cupressus
 religione patrum multos servata per annos: 715
 hanc ex diverso sedem veniemus in unam.
 tu genitor cape sacra manu patriosque penatis;
 me bello e tanto digressum et caede recenti
 attrectare nefas, donec me flumine vivo
 abluero.' 720

haec fatus latos umeros subiectaue colla
 veste super fulvique insternor pelle leonis
 succedoque oneri; dextrae se parvos Iulus
 implicuit sequiturque patrem non passibus aequis,
 pone subit coniunx. ferimur per opaca locorum; 725
 et me, quem dudum non ulla iniecta movebant
 tela neque adverso glomerati exagmine Grai,
 nunc omnes terrent aerae, sonus excitat omnis
 suspensum et pariter comitique onerique timentem.
 iamque propinquabam portis omnemque videbar 730
 evasisse viam, subito cum creber ad auris
 visus adesse pedum sonitus, genitorque per umbram
 prospiciens 'nate' exclamat, 'fuge, nate, propinquant,
 ardentis clipeos atque aera micantia cerno.'
 hic mihi nescio quod trepido male numen amicum 735
 confusam eripuit mentem. namque avia cursu
 dum sequor et nota excedo regione viarum,
 heu misero coniunx fatone erepta Creusa
 substitit erravitne via seu lapsa resedit?
 incertum, nec post oculis est reddita nostris 740
 nec prius amissam respexi animumque reflexi,